

tie satis sit ea confessio, vt cessante scanda-
lo possit alter coniux si innocens sit,
diuertere, quanuis ex ea in foro externo
suuari nequeat. Solutio pendet ex ijs, quæ
dicemus lib. 10. disputat. 12. à num. 39. vbi
latè agetur de noticia ad hoc requisita.
Et iuxta ibi latius dicenda censeo ex mo-
do confessionis lib. 12. perpendendum esse,
an vir prudens merito credere possit eam
esse veram, & non solo animo factam repe-

llendi exceptionem impotentie allega-
tam ab vxore, & tunc erit iusta causa vt in
foro conscientie possit vxor innocens ces-
sante scandalo diuertere, ac debitum ne-
gare. At ex illo id raro contingere pos-
se, vt vxor, quæ credit, ac experta est, vi-
rum impotentem esse, valeat sibi persua-
dere verè adulterium esse admissum filio.
Et ita raro ex ea causa licebit sibi diuor-
tium.

DISPUTATIO CENTESIMA DE- cimatertia.

Quales debeant esse matronæ de sponsæ virginitate deposituræ: &
qualiter, quibusq; diligentis præmissis debeant deponere: & pu-
blicatis attestacionibus an possint aliæ admitti, & recusari: & quid
possit iudex ex officio in his causis coniugalibus?

SUMMARIUM.

An matrone debeant esse percussimæ, & ho-
nestæ, vt fidem faciunt: & possint omnes
exceptiones, quæ aliorum testium fidem emer-
nant, contra ipsas opponi? num. 1.
An debeant esse deperochia, & nec nimis iuue-
nes, nec nimis senes? num. 2.
An debeant esse nobiles? num. 3.
An satis sit si de harum peritiis, & alijs qualita-
tibus requisitis, constet ex earum assertione,
vel ex notarij actibus? num. 4.
Cui incumbat matronas eligere? num. 5.
An matronæ, & ceteri artis periti recusari pos-
sint? Proponuntur suadentia partem, negan-
tem. num. 6.
Possunt recusari: & soluantur contraria. nu-
mer. 7.
An possint recusari, siue à iudice, siue à partibus
electis? sint: & an exigatur causa? vbi & de
arbitro, & arbitratore. num. 8.
Quid, quando singule partes singulas matronas
eligunt? num. 9.
An matrone oculis inspicere, & manibus tange-
re debeant feminæ verenda, vt de virginitate
deponant: & quæ sint virginitatis signa:
& an possit virgo manens concipere? numer.
10.
An desideretur feminæ in balneo lanari? nu-
mer. 11.
An sint diligenter examinandæ, ac virginitatis
rationem redditor matronæ, vt earum tes-
timonium probet? num. 12.

An sit opus vt iurent, & similiter de alijs arti-
peritis? num. 13.
An iurare debeant citate, ac presentis partem?
num. 14.
An testificari debeant de certa scientia: an sat-
is de verisimilitudine? num. 15.
Quot matrone, aut artis periti deponere de-
beant? num. 16.
An satis sit aliquando vna, aut vnus artis peritus?
num. 17.
An æquè credatur matronis, & artis peritis,
quando de negativa deponunt, ac quando de
affirmativa? num. 18.
An plus credatur peritiioribus, quanuis pauco-
res sint? num. 19.
Quibus credatur, quando æquales numero, ac
peritia, deponunt de frigiditate, ac pre-
sentia viri: aut de virginitate, ac corruptione
feminæ? num. 20.
An femina sit aliquando à medicis inspicienda?
num. 21.
An publicatis attestacionibus possint aliæ matro-
nas induci: atque id generale sit in omnibus
causis peritorum artis iudicio decideri? nu-
mero 22.
Quid, si iam lata sententia sit? num. 23. Vbi re-
missiue, an idem sit in alijs causis iudicio ar-
tis peritorum decidendis, & an sententia in
illis transeat in rem iudicatam?
An in causa coniugali, & in alijs, in quibus iu-
dicis officium exuberat, possit iudex ea ex of-
ficio intentare, quæ possent pars? num. 24.

In his causis multa iudex ex officio supplet.
num. 25. An possit iudex corrigere dictum matronarum,
aut aliorum: ex artis peritiis deponentium?
num. 26. An possit ex officio, in impedimento allegato, face-
re impotentem inspicere? num. 27.
An in causa coniugali, auctore nil probante, sit
iuramentum deferendum reo? num. 28. Et
ibi, an idem sit, quando opponitur impedi-
mentum inituro matrimonium, nec proba-
tur?

In hac disputatione breuiter tractan-
dum est de matronarum qualitatibus,
ac modo deponendi de femine vir-
ginitate, vt fidem faciât: ac de ijs, quæ
potest iudex ex officio in his causis con-
iugalibus. Prima conclusio sit. Matronæ
debeant esse artis peritæ, honestæ, ac bonæ
famæ, non leues, aut viles, ne modico præ-
tium subornatæ falsò deponant. Et idem est
de alijs artis peritis, iuxta eam peritiam
deposituris. Constat ex cap. penultimo, de
probat. ibi. *Honestas matronas, prouidas, ac
prudentes deputare curatis.* Et ex cap. frater-
nitatis, de frigid. statim in principio, ibi.
Prouidas, & honestas. Vbi Innoc. initio ex-
plicat, prouidas, id est, peritas. Et cap. fi-
nali, eodem tit. ibi. *A matronis bona opinio-
nis, fide digna.* Et ex l. magistris studiorum
C. de profes. & medi lib. 10. Quare om-
nis exceptio, quæ alios testes excludit, ac
eorum fidem eneruat, excludet quoq; has
matronas. Constat ex d. cap. penultimo,
vbi admittuntur exceptiones, quas vir op-
posuit aduersus matronas. Et docent ibi
Glossa verb. mulieres, & ibi Ant. num. 9.
Abb. in principio, notabili antepenulti-
mo: & melius Franciscus Aretinus ibi nu-
mer. 3. notabili 3. Quòd ad eò verum est,
vt licet eæ matronæ sint nobiles, minimè
admittantur, & quanuis peritæ sint, si præ-
sentia, aut morum honestate desitiantur.
Vt bene docent Baldus d. cap. penultimo
num. 10. in fine, & ibi Felinus sine. An verò
desideretur eas esse peritissimas, dixi dis-
put. 109. num. 7. *Secunda conclusio. Nec nimia iuue-
nitia, ob experientie defectum, nec nimis
senectus, ob defectum visus, debet matro-
nis inesse. Quia cum matronij dissolutio
sit res grauissima, est omni circumspèctio-
nu testium tractanda. Sic Ioan. Andr. cap.
fraternitatis num. 4. de frigid. & ibi Host.
num. 1. Anton. num. 18. Anchar. num. 3.*

notabili 4. Præpositus num. 1. notabili 3.
Alexander de Neuo in principio num. 5.
Brunellus de Sponal. conclusio 28. li-
mitatione 5. num. 23. Gregor. Lopez. l. 5.
verb. mugeres. tit. 8. part. 4. Fuluius Pacia-
nus de probat. lib. 1. cap. 47. num. 128. In-
super debent esse de parochia femine ins-
picienda. Constat ex d. cap. fraternitatis,
ibi. *Quasdam matronas sua parochia prouidas,
& honestas ad tuam presentiam euocasti.* Et
ratio est, quòd præsumatur eas habituras
pleniorum notitiam: argumento ex cap.
scriptum, & cap. postquam, de electione.
Et ita tradunt Abbas eò cap. fraternitatis
num. 4. Hostiensis, Ioannes Andr. Anton.
Anchar. Præpos. Alexander de Neuo pro-
ximè allegati. Ad dunt tamen bene Host.
& Præpos. querendas esse matronas perito-
res in quantum fieri poterit, quâuis non
sint ex parochia.

Sed an debeant esse nobiles? Alexander
de Neuo cap. finali, num. 9. de frigid. re-
fert quendam caudicum sustinuisse eas
debere esse nobiles: allegata in suum fa-
uorem Glossa cap. nec aliqua verb. obste-
tricum 27. quæ est. 1. Sed iure optimo re-
cedit ab hac sententia, ibi num. 10. Quòd nul-
lo iure nobiles in matronis petatur: vt
constat ex textibus duplici num. præ ce-
dentis allegatis. Adde fore, vt nulla matro-
næ testificacioni huic idoneæ reperien-
tur. Cum enim inspectio hæc obstericum
sit iatq; hoc munus nobiles debereat, nun-
quam aut rarissimè matronæ nobiles inue-
niantur. Nec Glossa allegata sentit opi-
nionem illius caudicis: solum enim obi-
ter dicit duabus, aut tribus matronis nobi-
libus iasseribus femine esse cogni-
tam, standum esse earum testimonio: at
non dicit non esse illis credendum, si no-
biles minimè sint. At fatendum est cum
Alexandro de Neuo eò num. 10. quando
obsterices diuersæ contraria attestaren-
tur, potius habendam fidem nobilioribus,
si cetera sint paria. Quòd præsumatur fore
vt nobiliores non ita facilè subornentur,
ac perorent.

Rursus dubitabis, an si de matronarum
peritia requisita, non aliter constet quàm
ex earum confessione in iudicio facta, in
qua se artis huius peritas esse fatentur,
id satis sit, vt ea qualitas requisita probe-
tur? Franciscus Aretinus cap. proposuisti
num. 15. & 16. de probat. mouet quæstio-
nem in genere de omnibus artis peritis: &
citato Baldo sic distinguit. Si solus ipsa

testis deponat de qualitate, quæ sibi debet inesse, non sufficit: secus si habeat alium contestem. Non enim rejicitur testimonium suum, licet de qualitate sua attestetur: quod non videatur attestari in causa propria, sed potius in parte vilitatem. Et licet aliqua fallitatis suspicio subit, eò quod videatur id asserere, vt testimonio suo fides habeatur. At hæc non est suspicio probabilis: nam quæ ratione non præsumitur ob iuramentum falsitas in dicto principali, ita nec in circumstantiis respicientibus causam, vel personam arguendo ex J. doli vers. diuersum ff. de nona. Similiter ait credi eam qualitatem inesse, si notarius in instrumento de ea deponat. Quia statim verbis notarij enunciatius: eò quod de hac qualitate potuerit fieri fides tempore examinationis: ob ea, quæ habentur cap. quoniam contra, de probat. per Doctores, & l. i. C. de fide instrum.

5 Tertia conclusio. Matronarum electio iudicis est, non partium. Quia potius iudicium, quam testium munus obcunt, (vt numer. 7. probabimus.) Et vocantur vt iudicem instruant. Sic tradit allegatus Bartolo, & Angelo, Felinus cap. penultimo num. 2. notabili 7. de probat.

6 Hinc decidenda est ea quæstio. An matronæ, ac ceteri artis periti, qui ex peritia artis de re aliqua attestari debent, possint recusari? Pars enim negans inde suadetur. Quod cum recusatio sit iurisdictionis declinatio: in re et Speculatore tit. de recusatio ne, in principio, & matronæ, alijq; artis periti iurisdictione careant, nulla ratio sua det eos recusari posse. Et confirmatur, quia testium fides enervari sanè potest obiectis aliquibus eorum vitijs, ac ij recusari nequeunt: eò quod iurisdictionem nullam habent. At matronæ, ac alij artis periti sunt testes. Vt constat ex cap. præposuisti, de probat. ibi. *Videtur igitur nobis, quod iuramento puelle, ac septem illarum mulierum testimonio, fides est potius adhibenda.* Et capi finali de frigid. loquendo de matronis, sic dicitur. *Quæ perhibuerunt testimonium ipsam adhuc virginem permanere.* Secundò, quia arbitrator nequit recusari. Vt docent Antonius cap. Quintavallis num. 19. de iure iur. Guillelmus de Cuneo, quem refert, ac sequitur Auendaño de exequendis mandatis Regù, lib. 2. cap. 23. num. 10. At hi arbitratores quidam sunt.

7 Quarta tamen conclusio fit. Matronæ, ac omnes alij, qui iuxta artis peritiam de re

aliqua deponere debent, recusari possunt. Quia hi non sunt proprii testes, sed eorum depositio, & declaratio magis est iudicium, quam testificatio. Vt docent Bartolo in tractatu testimoniorum nu. 12. Baldus l. 2. num. 4. ff. de ferijs. Decius cap. proposuisti. in noua editione nu. 53. vers. vitimò de istis peritis, de probat. Et ibi Felinus num. 9. & alij, quos refert, ac sequitur Fuluius Pacianus de probat. lib. 1. cap. 47. num. 15. & 94. Et constat ex cap. quia indicante, de præscript. ibi. *Agri messorij distributionem.* & l. certi iuris, ibi, iudicare. C. de iudicjs. Vnde Ioanes Garcia de expensis cap. 24. num. 18. ait hos obtinere vicem testium, quatenus deponunt: & vicem iudicium, quatenus ex forma sententiæ iudicij, cuius vi, & potestate creantur, iudicant. Vnde Baldus l. data opera num. 23. vers. si autem non est verus. C. de his, qui accusare non possunt, vocat hos testes non veros, sed præsumptios. Adde multò verius esse, posse arbitratores recusari. (vt num. sequenti dicemus.) Et ex his manent soluta contraria proposita num. præcedenti. Et pro hac sententia sunt Bartolo l. Theopompus num. 11. ff. de dote prælegata. Covarruu. lib. 2. var. cap. 13. num. 5. concl. 6. Mascard. de probat. conclusione 1038. numer. 19. Fuluius Pacianus de probat. lib. 4. cap. 47. num. 120. vbi dicitur, aduersus artis peritos posse partem opponere esse suspectos. Et in proprijs terminis tenet Ioannes Garcia de expensis cap. 24. num. 25.

8 Sed lata differentia est, quando hi periti eliguntur à iudice, & quando eliguntur ab ipsis partibus. Nam quando eliguntur à iudice, possunt absolute recusari, nulla alia allegata causa quam suspiciõnis: Sic iurisdices seculares ex hac sola causa recusantur. l. apertissimi 14. C. de iudicjs: iura Gloffa ibi verb. recusare, communiter recepta. Et l. regia 22. tit. 4. par. 3. Quare satis est, quæ iure sibi peritos illos esse factos. Sicut ad recusatorem iudicis secularis id iuramentum requiritur, & satis est. Vt docet eadem Gloffa eodem verb. recusare. Et licet d. l. regia 22. hoc temperet, nempe, exigi iuramentum, si petatur at vsu receptum est, vt id iuramentum sit necessarium. Vt notat Gregor. Lopez ca. l. 22. vers. si lo demandaren. Et videtur probari ex l. r. tit. 16. lib. 4. nouæ Recopilarij. Sed dices, cum iudicium hoc, in quo ma-

trona deponunt de virginitate feminæ, ad concludendam viri impotentiam, ac dissoluendum matrimonium, sit fori Ecclesiastici, matronas, ac medicos non posse recusari in hoc iudicio, nisi allegata, ac probata causa coram arbitris. Sicut in recusatõne iudicis Ecclesiastici decretum est cap. suspiciõnis, de officio delegat. ex secundo requirij, tertio postulas, & cap. cum specialit, de appellat. cap. legitima, de appellat. in 6. Sed respondeo id tantum de ipomet iudice Ecclesiastico decretum esse: quando enim in eo iudicio reculantur notarius, vel matronæ, aut alij, qui iuxta artis peritiam attestantur, id nõ est necessarium: sed seruatores iuris, quod solo iuramento dicto decernit recusatõne admittendam. Id enim etiam in foro Ecclesiastico seruandum, vbi ius canonicum nihil disponit, probat lib. 1. disputat. 6. numer. 24. Et idem dicendum est, quando discorðantibus inter se electis à partibus, iudex tertium artis peritum eligeret, is enim tertius posset recusari absq; causa, solo dicto iuramento præstito, quantum inter partes actum esset, vt in ea discorðata iudex tertium eligeret. Quod is tertius à neutra parte approbationem habeat, vt vel sic causa recusatõnis desideratur iuxta statim dicend: sed tantum vtraq; pars conuenit vt iudex tertium eligeret, quod intelligendum est, dum modo ille tertius neutri parti suspectus sit. At si vtraq; pars duos illos peritos, aut matronas elegerit, neutra recusare poterit absq; causa noua, aut, quæ denuò in eius notitiam peruenierit. Quia iudex à partibus electus, vt potest, qui earum approbationem habet, nequit recusari, nisi ex causa noua, aut tunc in recusatõnis notitiam venienti. Vt docent Gloffa cap. statutum §. cum autem verb. recuset, de rescript. in 6. & cap. in singulis verb. & appellatione, de statu monach. communiter approbatæ. Et ob hanc rationem reprobat sententia Antonij relat. num. 6. docentis arbitratores recusari non posse, tradit communis sententia id tantum esse verum, & in arbitro, & in arbitratore, quoties non adest noua causa, aut non est denuò cognita: tunc enim recusari non possunt: eò quod partes eos eligendo approbant: secus tali causa existente. Sic tradunt Abbas capi. Quintavallis num. 12. de iurjur. & ibi Imola num. 27. Alexander de Neuo num. 101. & 103. Francus cap. cum speciali quæst. 15. num.

36. de app. Et ita intelligendus est Ioannes Garcia de expensis cap. 24. num. 25. vbi ait posse ex noua causa superuenienti hos artis peritos recusari. Et hæc constat ex illius testibus 13. Cade testibus, vbi deciditur testes à quopiam in sum fauorem in vna causa productis, non posse ab eodem in alia reprobari, nisi ostenderit inimicitias inter se & illum postea emeruisse. Quare reculantur incumbit onus probandi causam hanc. Vt constat ex ca. l. si quis testibus, ibi, ostenderit. Item quia cum intentio sua, ac iustitia recusatõnis fundetur in ea causa, ipsi incumbit eam allegare, ac probare, vt posuit recusatõne admitti.

9 Quod si quælibet pars suam artis peritum eligat, quælibet poterit se electum recusare ex noua causa superuenienti, aut tunc denuò cognita: sicut num. præcedenti diximus ex ea causa posse arbitratores à parte ipsa electum recusari: neutra poterit recusare electum ab altera. Quia cum quælibet pars suam eligat, seruatur in hoc æqualitas, & si electus ab aduersaria alteri suspectus sit, habet altera de se electum, qui ius suum tueatur, ac illis disidentibus, neutra pars litis victoriam obtinebit, sed tertius eligeretur à iudice, qui potest à quælibet parte, cui suspectus fuerit, recusari. Vt probauit num. præcedenti.

10 Quinta conclusio. Vt matrona legitime deponat de feminæ virginitate, non satis est vt illius verenda oculis perspicia, sed desideratur vt perspiciant, atq; sufficienter, & sagaciter tangant manibus. Sic colligitur ex cap. penultimo, de probat. vbi cum præcipitur ad huc alias matronas adhiberi, ea redditur ratio, ibi. *Quia sepe manus fallunt, & oculis obstruuntur.* Supponitur ergo matronas debere perspicere, ac tangere. Et ratio huius est, quia cum sit res hæc difficillima probationis, oportet omnem diligentiam adhiberi, ne fecminarum fradibus detur locus. Sæpe enim corrupte virginittatis sigillum effingunt, varijs vtentes ad id medicamentis. Quæ medicamenta late inter alios tradit Bayrius tractatu de mendicis humani corporis morbis, lib. 5. cap. vltimo. Præterea, quia signa cognoscendæ virginitatis, quæ matronæ habent fallacia sunt. Vt bene probat Fragosus in sua chirurgia vniuersali, tractatu 2. de las declarationes tit. para conocer la virginitad en la muger. Matronæ enim asserunt se id quibusdam signis dignoscere. Primum

e sic quia in collo matricis aiunt appositam esse quandam telam obstantem ne digitus immillus penetrare intro possit: eamq; in primo coitu dirumpi, idque cognosci, cum immillus digitus facile introsum fertur. Secundum est quia aiunt corruptas feminas habere collum matricis latius, atq; apertius: contra verò, que sunt virgines, arctius, atq; compressius. At hæc signa fallacia esse debent ibi. Fragosus citato Ambrosio Pareo: quod eam telam vix vna ex millibus habeat. Atq; ita. Realdus libr. 1. r. anatomiæ cap. 6. solum in duabus virginibus se esse inuenisse affirmat. Præterea, sunt plurima medicamenta, quibus femine vntuntur, quò collum matricis contrahatur, atq; corrugetur. Deinde ait nec lac in mammillis esse certu corruptionis signu. Quòd in muliere, quæ nec grauida est, nec aliquando peperit, ac aliquando contigit, eò quòd mentitur deserviat. Vt docet Hypocraates in suis aphorismis, libr. 5. aphorismo 39. Sanguis enim, qui per vterum exire debet, ad mammillas à natura transmittitur: ut ibi docet Antonius Musa in expositione illius aphorismi. Imò Arill. libr. 4. hiltorie animalium cap. 20. docet tantam lactis copiam in mammillis viri aliquando reperiri, ut possit fugi. Et Venetius de id. vidisse testatur Cardanus libr. 12. de subtilitate. Et contingit quandoq; feminam incorruptam concipere, ex semine viri circa vas gestu, matrice femine illud attrahente. Vt testatur. D. Tho. quod libr. 6. art. 8. Nauiar. libr. 4. consil. tit. de frigidis, in prior editione, cons. 3. num. 23. in posteriori, consil. 2. num. 23. Nec obstat huic conclusioni, cauta esse. l. 1. s. mittantur autem. ff. de ventre inspicendo, ne muliere inuita obstetrices eius ventrem tangerent. Quia id procedit, quando tactus minimè desiderat ad rem probandam: vt continet in impregnatione, quæ sola vètris inspectione cognosci potest: secus in probatione virginittatis, quæ solo visu cognosci nequit, nisi tactus intercedat. Item quia in impregnatione id tantum fuit, ne tactu læderetur proles. Vt ait Albericus, Imperator, la. 2. num. 4. vers. & pro hoc facit, ff. de statu hominum, & ibi Angelus numer. 22. Quæ ratio non conuenit in virginittate probanda. Et ideo hæc conclusionem tenent Hostien. cap. penultimo num. 4. de probat. & cap. fraternittatis num. 1. de frigid. vbi Abbas antiquus num. 1. Ioan. And. num. 4. Anton. num. 18. Anchar. num.

3. & 4. notabili 4. Præpos. num. 1. Alexander de Neuo in principio num. 5. Felinus d. cap. penultimo num. 2. notabili 5. Franciscus Arerinus consil. 142. ex factò proponitur, dubio 4. num. 20. Gregor. Lopez. 1. 5. verb. mugeres. tit. 8. par. 4. Fuluius Pacianus de probationibus, libr. 2. cap. 2. numer. 17. *ib. ostendit ob. 2. notabili 4. 23. 24. 25.*
Hinc deducitur, sanum consilium esse, vt iudex districtè præcipiat matronis, vt antequam fecimam incipiat quò de eius virginittate deponant, faciant ipsi præsentibus eam in balneo aque comperent calidæ lauari, & tanto tempore moram in eo trahere, quantum necessarium fuerit, vt si forte glutino appposito vereneæ mulieris compressa sint, atq; coarctata, vt virgo apæpareat, id liquefieri possit. Quia in valore matrimonij inuestigando quæcunq; probationes possibiles adhibenda sunt, & potius debent esse superflua, quam diminuta (vt probauit disputat. 107. num. 10.) Sic docent Hostien. Ioan. And. Anchar. Præpos. Alex. de Neuo, Gregor. Lopez num. præcedenti allegari Abbas cap. fraternittatis nu. 4. de frigid. Brunellus de sponsalibus, conclusionem 28. limitatione 5. nu. 25. & 27. sine. Fuluius Pacianus de probationibus, libr. 1. cap. 47. num. 129. *ib. 107. 108.*
Sexta conclusio. Nunquā probat testis ex artus peritia deponens, nisi ex actis appareat eum fuisse diligenter interrogatum à iudice, & examinatum. Quod eius testimonium non de certa scientia sit, sed de vètrifimile & ideo diligenter examinari debet à iudice, vt fidem faciat. Ita docent Bart. l. semel num. 1. C. de re militari, lib. 2. Franciscus Arerinus cap. proposuisti nu. 152. vers. aduerte etiam, de probat. Qui inde inferit ipsum non probare, si non reddat causam scientiæ. Sed credo matronas si sciunt et reddere causam, si de ponant puellam esse virginem, eò quòd impexere partes scimæ, in quibus deprehenditur virginittas. Vt colligitur ex cap. proposuisti, de probat. ibi. *Testimonium mulierum probant, quæ per aspectum eam esse virginem asseruerunt.* Et docent ibi Abbas num. 2. Baldus nu. 2. vers. ibi, per aspectum. Calletus ad ditionibus ad Fuluium Pacianum lib. 2. de probat. cap. 2. litera D. Sed vltra hoc exigitur, vt deponat quoq; se sufficere per testes et cognoscisse. Quòd ex visu absq; tactu non sufficienter probetur virginittas. Vt probauimus num. 10. At cum ex visu, & tactu iudicetur virginittas, sufficientem eius reddat causam

matronæ

matronæ eius rei perita, si deponat eam fecimam virginem reperiri: quòd eius partes diligenter inspexerint, ac tetigerint, & eam talem iudicant. Sicut medicus sufficenter deponit de infirmi febris se artemiæ pulsum pertentasse asserat. Et Iacimus comētarius sufficientem fidem de quantitate sumptu alicuius ædificij suo testimonio facit, testificans se totum id diligenter perlustrasse, atq; inde id perspexisse.
13 Sed dubitabis, an matronæ, ac reliqui artus periti iurare debeant, vt suo testimonio fidem faciant Pars negans suaderi videtur ex cap. proposuisti, de probat. vbi fit mentio de iuramento mulieris dicens, se non esse cognitam, nulla de matronarum iuramento mentione facta. Et. l. 1. ff. de ventre inspicendo, paulò post principium, de sola simplici obstericum assertionem mentio fit. Vbi Glossa verb. vel due, ait fortè non exigi iuramentum. Secundo, quia licet regulariter testes non astricti iure iurando minimè fidem faciant. cap. nuper, in fine, de testibus. l. iurisiurandi. C. de testibus. At id saltem testimonio artis peritorum: vt de astrictis ad ventrem inspicendum assumptis testatur Glossa. dicit. i. iurisiurandi, verb. iurisiurandi. Ceterum tenendum est, id iuramentum desiderari. Probatur ex cap. fraternittatis, de frigid. ibi. *Districte illi iniungens sub periculo animarum.* Et ibi: *Quæ tamen in fide sua tibi asseruerat.* Deinde quòd eam hæc res sit grauissima, non est rationi consonum, vt absq; iuramento matronis fides habeatur. Et ita de his affirmant Glossa eo cap. fraternittatis verb. districte, & ibi Innoc. statim in principio. Hostien. num. 2. Ioan. And. nu. 5. & 23. Abbas num. 12. Anchar. num. 4. notabili 5. Anton. num. 17. Cardin. num. 3. Præpos. num. 7. & 8. Alexander de Neuo ibi in principio numer. 2. ff. de ventre inspic. Albericus in suo dictionario, lit. D. verb. diuertium, paulò post principium. Astenis 2. par. summa, libr. 8. tit. 37. art. 2. paulò post principium. Bald. d. cap. proposuisti, num. 3. Antonius Cucus lib. 5. institutionum maiorum tit. 12. num. 264. Et ingenerè de cæteris artis peritis id tradunt Host. Ioan. And. Abb. Anchar. Præpos. Alexander de Neuo eisdem locis. Couar. libr. 2. variar. cap. 13. num. 4. conclusionem 4. Pinellus de rescind. vendit. l. 2. par. 3. cap. 4. nu. 3. Ioannes Garcia de expensis cap. 34. nu. 18. Matueno lib. 5. Recopil. tit. 1. r. 1. glof

la. 2. num. 20. & 21. Et multi alij, quos referunt, ac sequuntur Mascardus de probationibus, conclusionem 1174. num. 48. Fuluius Pacianus de probationibus, lib. 1. cap. 47. num. 2. r. Zuallus quæst. practicas quæst. 1. num. 25. Et alij, quos hi referunt. Hoc tamen limitandum est, nisi assumpti fuerint à partibus de communi consensu. Cùm enim tunc fides eorum sit ab vtraq; parte approbata, iuramentum non est necessarium. Secus si à solo iudice, vel de iudicis mandato periti illi electi essent. Si alij relatis Fuluius Pacianus ibi, à nu. 22. Couar. Ioannes Garcia proxime relati. Mascardus num. 5. r. qui alij relatis addit nec teneri hosiurare, quando assumpti sunt à iudice, de communi partium consensu. Similiter tenentur iurare, quando legis præcepto periti hi electi essent à partibus: sicut diximus teneri, quando iudicis præcepto. Quòd in neutro euentu liberè eligant, vt sic videatur omnino fidem illorum approbare, sed legis, aut iudicis præcepto coarctari. Quamuis autem quando communi vtriusq; partis cõsensu periti electi sunt, non teneantur iurare: (vt proxime dictum est,) at id nullatenus admitterem in matronis de communi partium consensu electis ad explorandam vxoris virginittatem, ac dissoluendum matrimonium. Quòd eum nequeant coniuges in hac re cedere iure suo, atq; agatur de re tã graui, & vbi subest maximum peccati periculù, nil conferret consensu, ac approbatio partium, ne iudex officio sufficientissimà, ac superabundantem probationem exigere teneatur, vt suæ conscientiæ satisfaciatur, vel maxime quòd in causa coniugali multa iudex ex officio supplere vt num. 25. dicemus.
Imò periti artis eligi debet à iudice partibus præsentibus, & legitime citatis, licet relatio peritoru possit partibus absentes coram iudice fieri. Sicut ad depositionem aliorum testium pars debet citari, at non debet esse præsens depositioni, sed soli iuramento. Constat ex cap. 1. de conlang. ibi: *Quocirca mandamus quatenus vtramq; partem ante tuam præsentiam conuocet, & faciat testes coram te iurare.* Et ita docent Bartolus. l. Teoópous nu. 11. ff. de dote prælegata. Host. cap. fraternittatis num. 1. verb. ad tuam præsentiam, de frigid. & ibi Ioan. And. num. 5. Alexander de Neuo ibi, principio num. 6. Mascardus de probat. conclusionem 1038. num. 19. Fuluius Pacianus de probationibus, lib. 1. cap. 47. num. 120.

Bbb 3 Et

Et ratio est, quia potest pars opponere eos tibi esse suspectos. Unde hoc temperandum est, nisi alioquin peritorum facta esset comuni partium cōfessio intercedente. Quoniam cum tunc partium ad probationem habeat, non est harum citatio, aut presentia necessaria. Et ita temperat Iason consilii. 200. nu. 14. volum. 2. Decius. c. 2. nu. 62. de rebus. Couarr. lib. 2. var. c. 13. nu. 5. c. 6. cl. 5. Ioannes Garcia de expensis. c. 2. 4. num. 18. Fuluius Pacianus alios referens eodem. c. 47. num. 24. Secundum limitandum est, nisi iudex eos vocaret ad suam informationem. Ut multis relatis tradit Mascard. de probationibus in proemio. q. 5. num. 39.

15 Septima conclusio. Matronæ ac ceteri artis periti non tenentur cum omnimoda certitudine testificari, sed tantum verisimiliter, iuxta estimationem, quam ex artis pericia assequuti sunt, quod pericia versatur circa illas artes, quæ non constant certis, & indubitatis disciplinæ regulis. Quare in hoc distat ab alijs testibus, qui regulariter de veritate absoluta debent testificari. Et constat ex l. 1. in principio, ibi, Prægnantem videri. ff. de ventre inspiciedo. Et ratio est, quod his peritis impossibile sit cum omnimoda certitudine attestari: eo quod artis pericia illa non habeant. Et ita docent omnes quos nu. 1. retulimus aliter eos teneri iurare. Et multis alijs relatis tradunt Mascard. de probatio. concl. 174. nu. 48. & 49. Fuluius Pacianus de probat. lib. 1. cap. 47. nu. 17.

16 Octava conclusio. Dux matronæ sunt necessaræ, & sufficientes, ut de virginitate deponant: & idem in alijs artis peritis. Quia à regula generali dicantur in ore duorum, vel trium stare omne verum. c. in omni negotio, de testibus, res hæc non excipitur. Quia enim aliqui textus videntur plures duas matronas petere: iam illis satisfecit disput. 109. nu. 8. vbi & aduersus aliquos Doctores probauit esse duas matronas, quibus mulier sola affirmet se virginem, id viro neganti. Et idem vtra Doctores ibi allegatos, sustinent hanc conclusionem Anton. c. fraternitatis. nu. 4. de frigid. Alex. de Neuo. c. finali. nu. 11. eod. tit. Monald. in summa, vbi de matrimo. tit. qualiter & quando fiat diuortium propter impedimentum coeundi. col. vlt. ver. item quando mulier. Alberic. in suo diction. litera D. verb. diuortii, paulo post principium. Ioann. de Friburgo in summa confessorum, lib. 4. tit. 16. q. 16.

17 Hinc deducitur, regulariter vnus artis periti, aut matronæ testimoniorum minimè

sufficere: ut constat ex dictis nu. præced. At hoc fallit, quando vnus solus reperitur in ciuitate illa sibi dignus: tunc enim illius testimonium satis est. Quod probatur ex authentico de non alienando. §. quod autem, collat. 1. vbi disponitur per simidum rei valore adhibendos duos artis peritos, si in ciuitate referantur, alijs satis esse vnus. Et ex l. 1. §. finali. ff. de verb. obligat. ibi: *Vt q; alterius linguam intelligat, sine per se, sine per vnum interpretē.* Vbi textus loquitur de vno interprete, & nulla alia probatio desideratur. Et ita docet Barto. l. 1. num. 4. C. de ponderat. & l. finali, in fine. C. ad l. Corneliam, de fccarijs, & l. 1. in principio, nu. 4. ver. sed quæro. ff. de ventre inspiciedo. Anchar. cap. laudabilem, nu. 5. notabili 6. de frigid. Antonius. c. proposuisti. nu. 6. de probat. & ibi Decius à num. 18. in noua editione Felin. ibi nu. 7. ver. fallit tertia. Bald. c. penult. nu. 3. eodem tit. & ibi Bartholus col. penult. n. 12. Antonius Gomez tomo 2. variar. c. 9. nu. 5. Mascard. de probat. concl. 174. num. 21. Fuluius Pacianus lib. 1. de probat. c. 47. nu. 35. Atq; hoc extendunt aliqui reiecta contraria Abbatis opinione, quando causa sit ardua. Sic Felinus, ac Decius, Mascard. nu. 27. Fuluius Pacianus nu. 36. & duplici sequenti. Qui tamen hoc intelligit cum Aretino. dicit, cap. proposuisti. nu. 12. & 13. Et Mascard. c. nu. 25. quando in re ardua vnus ille testificans alijs deficientibus, esset artis illius peritissimus, atq; in ea valde excellens: quod si talis non sit, vocandus est alius ex loco vicino. Et quibus prædixi Doctores non loquantur specialiter de matronis assumptis ad testificandum de femine integritate, ut vel sic dissoluatur matrimonium: at cum eadem sit ratio de ipsis, ac alijs artis peritis ad testificandum in re ardua assumptis, idem dicere de his matronis eo vel maxime quod absolūtè, & in genere, loquantur de ijs, qui iuxta artis peritia testificantur, sub quibus hæc matronæ cōprehenduntur. Adde in cap. proposuisti, & c. penultimo, & c. fraternitatis, allegatis, in quibus multi ex auctoribus citatis tradunt hanc doctrinam, sermone haberi de matronis assumptis ad diuina testificationem, quare manifestè in illis quoq; eandem doctrinam tradunt, vt vna sufficiat, quòd plures nequeunt haberi in illo oppido. Quod est intelligendū iuxta limitationem positam, quòd esse esset artis peritissima: eo quod res hæc sit velde ardua. Sed quauis hæc pars tanquam satis proba-

bilis

bilis possit amplecti ob tot auctorum approbationem, tamen grauius: at multo magis placeat ea doctrinam tantum esse veram, quòd res non est ardua, sed de leui, aut nullo aliquis præiudicio agitur. Quare vbi res est ardua, nullatenus vnus testimonio standū est, quauis vnicus artis peritus sit in eo oppido: sed eòmodus erit alius ex vicino loco. Quod affirmat Abbas. c. proposuisti. nu. 5. de probat. Et Ioann. Garcia de expens. c. 2. 4. nu. 20. & 21. Quia regula generalis est, vt testimonium vnus quauis dignitate prædici fidem integrā minimè faciat. Iuris iurandi, in fine. c. de testib. 6. licet vnuersis, de testibus. At nullus est textus excipiens hanc casum nec illi, quibus cōtrarij inniuntur, hanc exceptionem probat. Nam §. quod autem, loquitur quando Ecclesia vult estimatione rei suæ nosse, vt tradat eam in emphyteusim, quare non mirū est, si decidatur vnus testimonium sufficere, alijs deficientibus. Quia non agitur nisi de Ecclesiæ institutione, vt sua vtilitati cōsulet: & acceptio in emphyteusim incūbit sibi prospicere, & aliud cōsiliū capere, an sibi ea expediat estimatio. Nec d. l. 1. §. finali allegata eam pro cōtraria sententiā, illi fauet. Quia optimè citato Bartolo respondet Io. Garcia nu. 21. interpretē logē distare à teste, quod hic ab vno cōtrarij sumatur: ille verò ex cōsensu vtriusq; sicut arbiter, aut arbitrator. Quare non mirū est, si vnico teste non sufficere sufficiat vnus interpretes. Adde, si textus hic aliquid probaret, probaret etiā non deficientibus alijs artis peritis sufficere vnum: nam vnus interpretes semper sufficit. At hoc in omni sententiā est falsum. Ex his deducitur, in hac causa cōingali non sufficere vnus matronæ etiā peritissimæ de positione, quauis ea sola in illo oppido reperitur, sed aliam ex vicino oppido eòmodus eandē esse. Cùm causa hæc sit valde ardua, & tendat in magnam matrimonij præiudicium, nimirum, vt initium dissoluatur, cōcessa ad aliud transgredi facultate: & agatur de maximo animarum dependio.

18 Nona conclusio. Quauis negatiua sit difficilis probationis, & maior fides habeatur paucis affirmantibus, quā plurimis negantibus, de qua re egi lib. 4. tota disput. 27. at in testimonio artis peritorum, & subinde matronarū, nil distat inter affirmantem, aut negantē de positionem, sed quæ creditur affirmanti, ac neganti. Ratio disparitatis est, quod in alijs rebus testis affirmans. v. g. Petrus homicidam fuisse, testatur de re, quæ sensu

percipi potest: quod fecus est in negante. Nam cum non semper possit esse cū Petro, ipsiusq; interij, potuit Petrus eo teste absente, aut non intuente, homicida esse: nisi sit negatiua cōfata loco & temporis (vt ex phili. d. disput. 27.) At cū ex artis pericia quis testatur, a quæ artis illius regulis subiicitur pars negans, ac affirmans: vt feminam esse, aut non esse virginem: expensis ædificij attingere mille aureos nummos, vel non attingere. Et idem ita docet Bart. l. diem proferre. §. si plures, sine. ff. de receptis arbitris. Et ibi Bald. ver. nā tūc distinguit. Alberic. l. 1. nu. 6. ver. secūdo casu. ff. de vtre inspiciedo. Aretin. l. 1. §. fin. nu. 47. ver. tu autē aduerte. ff. de verb. oblig. Felin. c. in nostra. nu. 8. ver. & istis adde, de testibus. Socin. senior. regula 508. in a. fallentia, de regulis iuris. Anton. Gabriel tomo 3. cōmunium, lib. 1. tit. de testibus, cōcl. 4. nu. 14. limita. 6. Fuluius Pacianus de probationibus, lib. 1. cap. 50. num. 58. & cap. 47. num. 3.

Decima conclusio. Peritores in arte quibus pauiores prævalent pluribus minis peritis. Quia eam ratio testificandi sit artis peritia, vbi ea maior est licet in testibus paucioribus, præponderat maior testium numero prædicatorum minorum. Et ita docent Speculator. tit. de probationibus, §. fin. nu. 27. Abbas. c. penult. nu. 1. eod. tit. Felin. c. proposuisti, in fine, eod. tit. Alciatus. l. 1. §. fin. nu. 48. ff. de verb. oblig. & ibi Aretinus nu. 40. Gallianula. nu. 4. Roman. nu. 9. Mascardus de probat. concl. 174. nu. 42. Fuluius Pacianus de probat. lib. 1. c. 47. nu. 165.

19 Vndecima conclusio. Ceteris paribus magis est habenda fides testificantibus virum esse potentem, quam dicentibus frigidum: vt si æquales numero, & peritia sint testes. Quod illi verisimiliora, ac naturæ aptiora testentur: cum potentia coeundi sit qualitas naturalis, eaque præsumatur, dum frigiditas non constat. Et ita docent Innocent. cap. 1. num. finali, de frigid. Corsetus in suis singularibus, singulari incipienti, duo testes deponunt. Petrus Greg. in syntagma iuris, lib. 9. c. 12. nu. 11. Fuluius Pacianus de probat. lib. 1. c. 50. nu. 62. Similiter duabus matronis deponentibus feminam esse virginem, potius creditur quàm æqualibus eam esse corruptam testantibus. Quia illæ habent naturæ, ac iuris præsumptionem pro se: virginitas enim præsumitur, cum sit qualitas naturalis. Sic allegato Curtio docet Fuluius Pacianus de probat. lib. 2. c. 2. num. 12. Quod bene limita. nu.

13. &

3. & lib. 1. cap. 50. num. 60. quando res dubia esset, non existentibus verisimilibus cōlecturis corruptionis feminae: nam his existentibus, vt si probetur iuuenem dormisse cum ea, plus credetur affirmantibus eam esse corruptam. Et in hoc casu intelligitur Baldus. l. testium. num. 37. versic. quarto dixi. C. de testibus. Iacobus de sancto Georgio. l. ob carmen. §. si testes. num. 7. versic. quarto iudex. ff. de testibus. Felinus. cap. in nostra. num. 11. versic. & presertim, de testibus. Decius consil. 3. 68. in causa. num. 3. volum. 3. dicentes magis credi obliuiscitibus feminam esse corruptam at testantibus. Ex quo infero, in causa separationis matrimonij ratione impotentiae viri, quod de ea non constat, magis habetur fides ceteris paribus matronis asserentibus feminam esse corruptam. Quod cum dormierit vnā cum viro, sit vehemens corruptionis coniunctura.

2. Duodecima conclusio. Quauis regulariter ad mulierem inspiciendam eligenda sint matronae honestatis gratia, vt constat ex cap. proposuisti, & ex cap. penultimo, de probat. & ex cap. fraternitatis, & ex c. finali, de frigid. at vbi agitur de qualitate altiore peritiam ad iudicandum desideranti, quā quae in feminis reperitur, ne probationum facultas pereat, aut matrimonium validum dissoluitur, vel irritum approbetur, medici periti adhibendi sunt, quod feminam inspiciant. Quod huius rei grauitas, ac necessitas praeponderet naturali honestati. Sicut à medicis inspiciunt, vbi necessitas urget morbi. Et probatur ex cap. ex literis, de frigid. ibi: *si virum illud mulier à natura contraxit, nec ope medicorum poterit adiuuari.* Et cap. fraternitatis, verb. per hanc autem, eodem tit. ibi: *Nisi per incisionem, aut alio simili modo violentia inferatur.* Nam vterque textus supponit in his euentibus feminam à medicis inspiciendam: vt potest, qui nec id iudicare, nec decidere possunt absque conspectu. Et ita docent Franciscus Aretinus consil. 142. dubio 4. num. 15. versic. venio nunc ad quartū referens id effectum fuisse cum Dorothea filia Ludouici, Marchionis Mantuae. Decius cap. proposuisti. num. 3. notabil. 2. de probat. Et dicens esse verisimum, & obseruatum cum filia Ducis Parmae, Fuluius Paccianus de probationibus, lib. 2. cap. 2. num. 35. & 24. Quauis Tiraquellus. l. 4. conubiali. num. 28. versic. proinde non rectè, relatis Decio, & Aretino authoribus hu-

ius sententia sic dicit. An tamen bene serferint, aliorum sit iudicium.

Decimatertia conclusio. Et si regulariter publicatis attestacionibus non possint alij testes admitti, saltem super eisdem articulis: vt constat ex cap. fraternitatis, de testibus, & clemen. 2. eodem tit. Id tamen fallit in testibus ad virginitatem feminam inspiciendam inducis, quales sunt matronae, vel medici, possunt enim alij induci post eam publicationem. Constat ex cap. penultimo, de probat. Et tradunt ibi Glossa, verb. pars, Innocen. num. vnico. Hostiens. num. 4. Ioann. Andra. num. 2. Anton. nu. 3. Abbas statim in principio, notabil. 2. Baldus num. 1. Imola statim in principio. Felinus num. 2. notabil. 3. Franciscus Aretinus, num. 4. notabil. 4. Nauarr. lib. 4. consil. tit. de frigidis, in priori editione, consil. 3. in fine, in posteriori, consil. 2. sine. Fuluius Paccianus de probat. cap. 47. num. 77. Arque id verum est, quauis id tendat in professionis emissae praedictum. Constat ex d. cap. penultimo, nam matronae ibi inducis sunt ad inspiciendam coniugatam volentem ex aspectu probare se virginem, & proinde professionem à se factam valuisse, eod quod matrimonium non consummaret aduersus virum petentem eam sibi restitui: & tamen publicatis attestacionibus alij testes admittantur: eod quod sententia in illo lata non transeat in rem iudicatam. At verius est, id esse generale in omnibus causis decidendis per artis peritorum testimonio, quoties illi nequeunt de certa scientia, sed tantum de verisimili deponere. Et ratio est, quia priores testes facile decipi potuerunt. Et ideo hoc esse generale in omnibus his causis suadet ex ratione tradita huius admisionis nouorum testimonio. d. cap. penultimo, ibi: *Quia saepe manus fallunt, & oculus obstruitur.* Quae cum sit generalis, ac communis omnibus his causis, decisio quoque communis esse debet. Et ita fatentur Abbas, Baldus, Felinus, Franciscus Aretinus proximè allegati. Qui bene addit posse in omnibus his causis induci tunc alios quoscumque testes, quauis non sint eius artis periti, sed aliter de veritate deponant. Quod eadem ratio facilitatis deceptionis priorum testimonio militet.

Postunt

Postquam autem recipi noui illi testes publicatis aut latoribus: sive ex iudicis officio, sive ad partis instantiam producantur. Et ita docent Abbas, Baldus, Felinus, Fuluius Paccianus proximè citati, qui bene intelligi possunt ad partis instantiam, quando si modo nil in iuratori potest, quare eos prius non produxerit.

2. Imò in causa coniugali possunt etiam lata iam sententia alij testes recipi, nedum solim publicatis attestacionibus. Vt constat ex cap. lator, de sent. & re iudic. & cap. fraternitatis, de frigid. Et ratio est, quia in ea non transeat sententia in rem iudicatam. Et ita tradunt Innocen. cap. penultimo, nu. 4. vbi de, de probat. & ibi Hostiens. num. 4. Ioannes Andra. num. 2. Anton. num. 6. An vero id sit generale in omnibus causis, quae per artis peritorum testimonia deciduntur, pendet solutio ex ea quaestione, an similiter in his sententia non transeat in rem iudicatam: si hoc enim verum est, eodem dicendum erit: scetus si transeat. De qua quaestione quia ad rem nostram non facit consulendi sunt Franciscus Aretinus cap. proposuisti, de probat. & ibi Decius, & Dilectores, Pinellus. l. 2. p. 3. cap. vltim. nu. 6. cap. de rescind. vendit. Lupus. l. 2. §. 5. nu. m. 1. versic. sed cadit hic congruè. C. de peccatis in ter. emp. & vendit.

2. Ex dictis inferitur, in causis in quibus exuberat iudicis officium, vt in beneficiis, ac coniugalibus, posse iudicem suū officium interponere, non tantum in ijs, quae pars intendere nequit: vt in cap. constitutus, de appell. & cum nobis olim, de elect. Sed in ijs etiam, quae potest pars. Constat ex cap. penultimo, de probat. vbi, quia de matrimonio dissolueno agebatur, pars poterat producere testes publicatis attestacionibus: vt diximus num. 22. & tamen index eos ex officio produxit, ibi: *Volamus, & mandamus, vt ab hac honestas matronas prouida, ac prudentes deputare ceteris.* Et notant ibi Hostiens. num. 4. Ioann. Andra. nu. 2. Abbas in principio, notabil. vltimo. Franciscus Aretinus nu. 5. notabil. vltimo. Felinus nu. 2. notabil. 7. Cardinalis nu. 1.

2. Quin imò in his causis coniugalibus iudex ex officio multa supplet. Quod bene docet Cardinalis. cap. finali. num. 1. versic. nota quod virginitas, de frigid. Et probat ex eo textu, vbi quia de matrimonio ratione impotentiae dissolueno tractabatur, iudex ex officio fecit per matronas inspici uxorem, interrogauit presbyterum paro-

chianum, ac multa alia fecit.

2. Potest etiam ex officio corrigere dictū testis parte non petente, quoties testis deponit iuxta artis peritiam. Vt per L. arbitro. ff. qui satisdare cogantur, docent Bartolus ibi num. 4. Franciscus Aretinus. cap. penultimo. nu. 6. notabil. vltimo, de probat. Fuluius Paccianus de probationibus, lib. 1. cap. 47. num. 7. in quod limitat. num. 72. vt procedat ante quam iudex sententiam tulerit.

2. Similiter potest iudex in causa coniugali, facere ex officio suo, parte non petenti, vt al legatum in potentia viri, aut feminae astitudine, inspiciat vir, aut femina, vt vel sic notat matrimonium sit validum, necne. Quia suum est cauere animarum periculum, quod imminet in matrimonium illud sit irritum. Deinde, quod in causis coniugalibus iudicis officium exuberet, & suppleat multa, quae possit pars intendere. Vt probauimus tripliciter num. praecedentis. Et ita docent Abbas. cap. fraternitatis. num. 4. de frigid. & ibi Alexander. de Neuo in principio. num. 5. Astenus. 2. part. summa, lib. 8. tit. 37. ar. 2. paulo post principium.

2. Tandem id speciale est in causis coniugalibus, & in omnibus alijs, in quibus animae periculum veritatis, & agitur de peccato vitando, vt quauis actor nihil probauerit, & proinde nulla sit pro actore praesumptio, adhuc sit iuramentum deferendum reo, & hoc fit ad purgandam omnem suspicionem. Constat ex cap. continetur, de desponsatione impuberum, vbi puella erat actrix ad probandum copulam minime inuenisse, atq; proinde matrimonium fuisse irritum: & nil probauit: & tamen textus ait fidem habendam esse marito, qui copulam interuenisse affirmabat, si id firmauerit iuramento. Desertur ergo iuramentum reo, & actrice nihil probante. Et ita animaduertunt ibi Glossa, verb. iuramento, in fine. Et ibi Abbas num. 8. Alexander de Neuo num. 2. Prepositus num. 6. Ex quo infero, si volenti contrahere matrimonium opponatur impedimentum aliquod, quauis id minime probetur, esse petendum iuramentum à reo, quod iuret id impedimentum non esse. Et quauis nullum Doctorem inuenierim, qui in proprijs terminis hoc asserat: constat ex doctrina tradita. Cum enim tunc tractetur de vitando peccato, quod committitur in eundem matrimonium cum impedimento aliquo, deferendum est iuramentū reo, quauis actor nil probet.

DISPV.

DISPUTATIO CENTESIMADECI-
maquarta.

Vtrum coniugi impotenti, vt viro frigido, aut mulieri arctæ, inter-
gram sit contra matrimonium proclamare: an potius id ius pro-
clamandi soli competat potenti?

SUMMARIUM.

Proponitur ratio dubitandi, num. 1.
An vero impotenti integrum sit contra ma-
rimonium proclamare? num. 2.
Quid, si proclamat, vt ad alias nuptias tran-
seat? num. 3.
Quid, si propriam impotentiam nosset tempo-
re matrimonij? num. 4.
An possit tunc implorare officium iudicis, vt ma-
rimonium separet? num. 5.
An femina ex parte cuius est impotentia, pos-
sit proclamare aduersus matrimonium: sicut
potest vir, quando ipse est impotens? num. 6.

RATIO dubitandi in hac dis-
putatione ea est, quod non au-
diatur is, cuius non interest, cap.
non solent. 2. quæst. 6. & cap.
cum inter, de elec. At separari matrimo-
nium non interest impotentis. Cùm sibi
iniuria non irrogetur, eò quod potest ha-
bitare instar fratris & fororis: (vt probaui
disputat. 97. num. 4.) nec potest ad alias
nuptias transire. Non ergo ius hoc pro-
clamandi competet impotenti, sed soli
potenti.

Ceterùm quando impotentia se tenet
ex parte viri, res est certa posse ipsum pro-
clamare aduersus matrimonium. Quia sua
interest ipsum dissolui, ne compellatur ad
onera matrimonij irriti sustinenda. Atque
id constat ex cap. 1. de frigid. vbi vir pro-
clamauit propriam frigiditatem allegans,
& auditus est. Et ita docent Glossa cap. 2.
verb. idcirco. 33. quæstio. 1. Abbas anti-
quus dict. cap. 1. num. 3. & ibi Ioann. And-
ræ. num. 3. Abbas num. 1. notabil. 1. Ale-
xander de Neuo num. 1. Præposit. num. 4.
Syluest. matrimonium. 8. quæst. 16. di. 80
5. & ex Theologis, Paludanus. 4. distin. 34.
quæst. 2. art. 1. conclusionem 3. num. 9. sine.
D. Antoninus. 7. part. tit. 1. cap. 12. §. 1.

Hoc tamen temperandum est, si vir pro-
prium frigiditatem alleget, vt id matrimo-
nium dissoluatur, ac eximatur ab eius on-
eribus sustinendis. Si enim eò tendat, vt si-

bi ad alias nuptias transitus permittatur,
audiendus est. Quod petitio sua aduerse-
tur allegationi: siquidem frigidus, vt est
incapax huius matrimonij, ita & cuiuscun-
que est. Et ita docent Glossa, & Alexan-
der de Neuo num. præcedenti allegati. Sed
benè Alexander de Neuo 90. cap. 1. num.
2. hoc intelligit, quando vir allegat prop-
riam frigiditatem: si enim allegaret ma-
lesficium, audiretur. Quia malesficium com-
muniter est tantùm respectu illius femi-
næ, cum qua contraxerat: (vt probauimus
disputat. 94. num. 4.) & illa probato male-
ficio capax erit alterius matrimonij. Et cū
hæc quoque ratio militat, quando allegat
solum impotentiam respectu illius femi-
næ, similiter tunc audiendus erit ad effec-
tum alterius matrimonij inuendi.

Secundò temperandum est, vt liceat vi-
ro proclamare, suam impotentiam allegan-
do, quando illius ignarus fuit tempore ma-
rimonij. Cùm enim dolus nemini patro-
cinari debeat, minimè audietur, si illam
tunc porit. Argumeto ex cap. 1. de eo, qui
duxit. Et ita sentiunt Glossa, Palud. D. An-
toninus, Syluest. num. 2. allegati. An verò
teneatur tunc vir eam feminam habere,
vt forem? Dixi disputatione 97. num. 9.
& 10.

Si tamen periculum incontinentiæ ex
confortio cum ea vxore exilimata subef-
set, posset vtique vir adire iudicem, & pe-
tere, vt ex officio suo eos separet. Nam
iudex in hoc euentu tenetur coniunctio-
nem hanc non permittere, quantum velint,
vt frater, & foror simul esse. Vt probaui dis-
putat. 97. num. 5.

Major difficultas est, an quando im-
potentia se tenet ex parte feminae illam
ignorantis tempore matrimonij, possit re-
clamare contra matrimonium, allegando
suam impotentiam? Nam ratio nume. 1.
proposita partem negantem suadet: eò
quod femina non interlit id matrimo-
nium dissolui. Et ita videntur tenere Glof-
sa, Abbas antiquus, Ioann. Andræ. Abbas,

Ale.

Alexander de Neuo, Præposit. num. 2. al-
legati, tanquam speciale enim id de viro
concedere videntur, reddentes eam ratio-
nem, vt vir ab oneribus matrimonij susti-
nendis absoluitur. Quæ ratio non habet
locum in vxore. At melius Paludanus. D.
Antoninus, & Syluester num. 2. relati id

quoque in femina admittunt. Quòd satis
sua interfit separari ab eo, qui verè non
est suus vir, nec ipsi subijci, & restitui si-
bi dotem. Nec æquum est eam cogi si-
mul esse instar fororis. Cùm tantùm se
obligarit ad habendum, vt virum, ac cul-
pa vacarit.

EXPLICIT LIBER SEPTIMVS DE
impedimentis Matrimonij.

MADRITI,
Apud Ludouicum Sanchez:
ANNO M. DC. V.



LIBER